

gatur facultas ab Inquisitoribus vt possit absolui, vnde ait eum non posse pro libito confiteri: quia alias non teneretur semel & iterum insistere vt sibi facultas concedatur, quod faciendum etiam statuit Lupus Artic. 2. citato. Quando quis ergo de adipiscenda facultate omnino desperaret, aliter videtur dicendum, & ita poterit quoties voluerit, confiteri. Deinde, Cum habens legitimum impedimentum, vt in Indiis, possit absolui a quolibet Confessario, iuxta eundem Scriptorem citato numer. 5. 5. vbi id sine aliqua limitatione concedit: videtur consequenter dicendum non esse expectandum necessitatis articulum, quod & tenent aliqui apud Dianam id. non improbatem Parte 7. Tract. 3. Resolut. 23.

Per Bullam Cruciatæ an liceat absolutio, & an omnis exterior hæresis sit pœnis pro illa latis comprehensa.

**P**ardi in Bullam Cruciatæ Parte 2. Tract. 6. Cap. 2. Sect. 1. ita dicitur, vt ex eius principis deduci videatur probabile esse beneficio Bullæ posse absolui eos, qui in hæresim externam, occultam tamen, inciderunt. Cum enim id probabile sit respectu Episcoporum, videtur consequenter dicendum idem per Bullam licere, cum liceat absolutio ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ occultis, minimè in eadem Sedi Apostolicæ reseruatæ generali prohibitione. Sicut autem eum absolutionem prohibet, de occultis non intelligit, ita & de hæresi videtur similiter accipiendum, quia in ea quoad hoc non fecit exceptionem, nisi quantum ad modum absolutionis, vt ea ab Episcopis nequeat generaliter alii committi. Quod autem alias Episcoporum facultas sublata non sit, probabile quidem est, & quamplurimum Doctorum auctoritate munitum, vt iam vidimus, vnde casus Pontificius non est, sed Episcopalis, & ita veniens cum aliis in Bulla contentis. Hic est discursus probabilis iuxta P. Bardi, vnde Leander Parte 4. Tractatu. 2. Disputat. 17. Quæst. 85. vers. Tertio, quia non dubitat afferere, ipsum sententiam istam clarè esse probabilem affirmare: licet oppositam ille tueatur. Vnde miratur P. Mendus in Tractatu Appendice. Disput. 2. Cap. 28. quomodo citatus Auctor consequentiam apertam non intulerit circa probabilitatem de Bullæ facultate loquendo, quia ita de Episcopis philosophatus fuerat, & de Bulla instituerat quæstionem, de qua præcipue disputabat. Nec vereri debuit, Quæsitores Fidei id ægrè laturos, si probabiliter loquebatur; non enim Sanctum illud Tribunal opinionibus est probabilibus insensum, & quod pro sua pietate eas quandoque desiderat, vt reos absoluat, estque id Sedis Apostolicæ menti conforme, in qua viger Spiritus Christi ad benignitatem proni, nec condempnantis eos, qui ab iis, quos ipse in Ecclesia constituit magistratos loco sui audiendos, fuerint absolui. Neque ego te condemnabo. Illius vox est. Ioan. 8. v. 11.

37 Et ita quidem dicitur P. Mendus, licet a nobis non nihil ipsius discursui additum, qui tamen ibidem nihil circa probabilitatem statuit, sicut neque Disputat. 23. Cap. 8. vbi ex professo

probat non posse beneficio Bullæ absolutionem ab hæresi occulta conferri. Sic autem probationem instruit, vt satis indicet pro assertionem opposita validum esse fundamentum. Concludit autem in hunc modum: Ad calcem aduerte omnino nostram assertionem esse docendam. Etenim vt obseruat P. Henriquez Lib. 6. de Penitentia Cap. 16. num. 2. in Glossa lit. L. duo Concionatores, qui temere in suggestu docuerunt Cordubæ, Turkitania, seu Murcia, posse virtute Bullæ Cruciatæ ab hæresi absolui, coacti sunt publicè doctrinam retrahere a Quæsitore fidei. Quæ retractatio absque distinctione cadit supra hæresim publicam & occultam. Hæc ille. Iuxta quæ meritò potuit P. Bardi timere, licet alias probabiliter opinatus, sicut & ipse Pater Mendus timuit probabilitatem apertè profiteri, quam tamen vtroque loco satis indicauit. Licet enim pro ratione concludente afferat expressam exceptionem pro casu hæresis in Bulla contentam, vnde neque dici sub generalitate casuum Episcoporum comprehendendi; illa ipsa exceptio similiter potest intelligi, vt de hæresi procedat, quæ publica est: cum eo modo excipiatur, quo est Sedi Apostolicæ reseruatæ; & soli casus publici reseruantur. Quæ ratio semper apparet verosimilis, cum nihil afferatur contra ipsam, per quod penitus infringatur. Et omnem aliam præfatus Auctor infirmam reputat, quia congruam habet solutionem: atqui etiam quod de exceptione in Bulla dicitur, illam habet, quam diximus, ergo & non concludens debet reputari, vnde apertè ita sentiunt Angelus Bossius apud Dianam Parte 5. Tract. 12. Resolut. 35. & Mazuchellus apud eundem Parte 8. Tract. 7. Resolut. 67. qui tamen addit contrariam sententiam esse consulendam.

38 Et hæc quidem iuxta Auctores dictos, cum reuerà sententia dicta, licet speculatiuè videatur verosimilis, nullo modo fit in praxi vt probabilis admittenda, vt affirmat Diana Resolut. 67. citata: pro quo & videndus P. Bardi in Selectis Lib. 5. Quæst. 11. numer. 6. Quando præsertim delictum ita est externum vt testem habeat; sine teste enim commissum volunt aliqui instar mentalis iudicandum: quia dum quis ad nullius notitiam deuenire corat, perinde se habet acsi intra mentis adyta contineret. Et ita Ecclesia de illo non iudicat, quæ non iudicat de occultis; nisi fortè quando ex occulto delicto damnum notabile sequeretur, vt accidere potest in homicidio, furto, aut sacrilegio occultis. Ex eo autem quòd quis, conceptam hæresim se solo teste pronuntiet, nihil plus damni habetur, quam si retineat mente. Vnde est sententia P. Petri Huradi, licet sub dubio 2. 2. Disput. 83. de fide Sect. 3. 5. 29. proferentem hæresim, quam verè tenet, se dormire dum simulat, si audientes sibi persuadeant eum verè dormire, non esse hæreticum externum: licet contradicat Diana Parte 5. Tract. 13. Resolut. 17. Multò ergo minùs si solus esset. Facit etiam pro eodem Rebuffus à Barbosa adductus de Potestate Episcopi Allegat. 40. numer. 11. dicens hæreticos mentales non ligari excommunicatione, aut alios omnino occultos. Præter mentales enim non videntur quinam alij esse omnino occulti possint, nisi qui ita hæresim proferunt, vt omnino aliis ignotam esse curent: talis enim non solum per accidens est occulta, quia scilicet

teste

testes defunt, sed etiam videtur per se talis, quia ita Decretum procuratum est, vt nisi miraculosè in notitiam nequeat cuiquam deuenire. Quod secus accidit cum quis solus profert hæresim, quæ tamen audiri potuit, licet reuerà audita non fuerit, quod quidem per accidens est.

39 Est etiam pro eodem notanda doctrina, quam ex probatis Doctoribus proponit P. Palaus Tomo 1. Tract. 4. Disput. 3. Puncto 3. num. 5. iuxta quos vt quis possit vt hæreticus damnari, necessarium est asseruisse illum verba vel facta se credere, & aliis credenda proposuisse. Hoc illi exigunt vt hæreticus negatiuus externo supplicio afficiatur. Magna ergo est differentia inter curantem omnino secretum, & non curantem illud in ordine ad pœnam, vt non immeritò censeri debeat grauissimas pœnas excommunicationis Papæ reueruatæ, & alias illum non incurrere, quibus redditur obnoxius iste. Et quidem hæreticum occultum pœnam irregularitatis non incurrere, tenent multi & grauissimi Scriptores, quos adducit & sequitur Diana Parte 1. Tractat. 11. Resolut. 114. & Parte 4. Tract. 2. Resolut. 46. adducit alios, sibi tamen contrarius. Nec facile est rationem discriminis assignare: licet P. Azor Tomo 1. Lib. 8. Cap. 10. Quæstio 4. ex Simanca dicat esse omnium Iuristarum & Theologorum.

40 Est insuper sententia Victoræ, quem refert, licet non probet Simanca de Catholicis Instit. Titulo 24. num. 9. dicentis hæreticum per iocum proferentem hæresim, non incurrere excommunicationem. Cuius ratio esse potest, quia sic non videtur esse noxia ita vt pœnam mereatur. Ex quo argui in casu nostro non leuiter potest. Præterea: Auctores qui sententiam affirmantem proponunt, eam non vt certam statuunt, sed vt a probatis scriptoribus assertam. Videatur P. Granadus 2. 2. Controu. 1. Tractat. 15. Disput. 13. num. 14. Item is, qui hæresim scribit characteribus sibi tantum notis, non incurrit pœnas dictas, vt videri apud Auctorem eundem potest, & idem de quolibet alio signo aliis innocibilibus: & cum per verba æquiuoca, etiam coram multis, iuxta P. Palaum supr. num. 3. & P. Dicastillum Tract. 8. de Sacramentis Disput. 11. num. 46. qui & num. 49. & 50. idem vt probabile proponit de ceteris alteri notis. Vide etiam Bonacinam Tomo 3. Disput. 1. Quæst. 2. Puncto 1. num. 5. Quis autem non videat magis possibile esse vt talis cifra percipiatur, quam propositio ab omni testium auditione remota? Accedit eorum sententia, qui idem tenent de proferente cum deliberatione tantum ad veniale peccatum sufficiente, coram multis. Videantur citati. Cum tamen magis noxia sit, quam ea, de qua loquimur.

41 Pro quo & stat apertè Caramuel in Regulam D. Benedicti Disput. 66. num. 1017. vbi sic ait: Actus interiores sunt liberi à directâ gubernatione Ecclesiæ, illosque nequit interdiceri, quia nequit agnoscere. Ita omnes Doctores boni nominis. Atqui actus interiores secreti prout tales participam eandem rationem, nam illos non potest Ecclesia cognoscere, ergo de illis non veniunt intelligenda iura. Dicit actibus exterioribus esse accidentale secretum; si enim quisquam eos vidisset, posset publicare. An non eodem modo actus interiores, si quis vidisset, posset publicare? Et Angelus & Thesauri Indici Tom. II.

*Dæmones vident, & sepe publicant. Vnde sic multi philosophandum docent, sic concludunt: Actus externi secreti, si essent publici, agnoscerentur ab Ecclesia: ergo & si isti essent publici, posset interdici non sunt; ergo interdici nequeunt. Vide vtrum consequentia satis legitime inferatur, & pro scientia tua in hac doctrina indica: ista enim omnia ex meis principijs inferuntur.* Hæc ille. Quibus addo: Caramuelè quoad generalem doctrinam de actibus occultis impugnat Illustrissimus D. Ludouicus Crespinus à Borgia in Selectis Quæstionibus moribus contra illum. Quæst. 1. §. 1. Sed esse probabilem affirmat Croulers in Regulam S. Francis Cap. 7. Lect. 4. Contra quem Leander Parte 4. Tract. 1. Disput. 8. quæst. 4. & Par. 5. Tract. 1. Disput. 1. quæst. 10. Cum quis ita arguit: si isti actus agnoscerentur, posset puniri: ergo ex se sunt punibiles: negandum esse suppositum Antecedentis, quòd scilicet, si agnosci posset isti actus, re ipsa essent: nam ideo sunt, quia agnosci nequeunt; si enim posset agnosci, non essent. Præterquam quòd similiter de actibus internis argui potest: si enim cognosci posset, punitioni essent obnoxij, vt sunt respectu Dei, quia omnia nuda & aperta sunt oculis eius. Hebr. 4.

42 Et hæc quidem pro istiusmodi faciunt positione. Quidquid autem de illa sit, & de occulta hæresi loquendo, non videtur probabile, vt dixi, beneficio Bullæ posse ab eadem absolui, cum expressè in ipsa habeatur exceptio, quæ ad occultam dubio procul extenditur. Et volunt aliqui in Bulla Cœnæ id expressum verbis illis excommunicationis primæ: Ex quauis causa publicè, vel occultè, quæ ad omnia esse referenda in eâ clausula contenta, cum Rebuffo censet Barbosa supr. num. 11. Si enim hæretici occulti per Bullam Cœnæ excommunicati sunt, iam cessat ratio, cui præcipue aduersantes innituntur; quòd scilicet in Bulla Cœnæ publicè tantum hæresis reseruetur, & ita non sit casus Pontificius quæ occulta est, sed Episcopalis, & ita beneficio illius possit in eam incurfus absolui. Sed certè verba prædicta, tenore Textus attento, ad solos videntur librorum hæreticorum defensores referenda, vt videri potest apud Sayrum in Thesaurio Lib. 3. Cap. 5. num. 18. Aliunde ergo præfata est veritas comprobanda: ex eo scilicet quòd exceptio regulanda est per concessionem, vt est clarum: cum enim generaliter aliquid conceditur, si quidquam excipitur, ita est exceptio accipienda, vt non liceat stance illâ, quod respectu aliorum licet. Sic cum in Concilio Tridentino Sessio 24. Cap. 6. de Reformat. conceditur Episcopis, vt possint dispensare in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, additâ exceptione homicidij voluntarij, manifestum est exceptionem debere iuxta concessionem intelligi, vt scilicet dispensatio in foro occulto non liceat, in quo respectu aliorum casuum est facta concessio: vnde exceptione non additâ, liceret dispensatio in illo, sed in foro tantum dicto. Atqui per Bullam conceditur generaliter facultas absoluedi à casibus in Bulla Cœnæ contentis modo in eadem explicato, idque tantum in foro conscientie, quia Confessario vt tali, vt communiter Doctores admittunt videndi apud P. Mendum Disput. 25. Cap. 14. quod de immediata & directâ absolu-

L L L

tione



tione est certissimum, sicut videri apud eundem potest *num. 159.* quidquid de aliquo effectu exteriori fit, pro quo Idem citato Capite. Exceptio ergo hæresis iuxta forum est idem accipienda, ut scilicet in eo non liceat absolutio, siue publica sit siue occulta. Discursus videtur perpicuus.

43 Deinde probatur ex eo quod ab eo tempore, quo exceptio addita est, & Gregorius XIII. declaravit, sic est ab omnibus intellectum, & Gregorius ipse exceptionem declarans, ita loquitur: *Nos autem omnem dubitandi occasionem in præmissis remouendam esse existimantes, ne circa id vltimo tempore hæsitari contingat, &c.* Manifestet autem magna dubitatio, si non omnem absoluendi in foro animæ (de quo expressè loquitur) facultatem remouisset. Vnde & subdit: *Dicitis Confessoribus aliquo modo absoluendi, &c.*

44 Præterea, si ex eo quod sit probabile hæresim esse casum Episcopalem, licet probabiliter absolutio per Bullam: ergo & licet toties quoties, quia in ipsa conceditur ampla facultas pro omnibus, quæ non sunt in Bullâ Cœnæ reseruatâ: immo & horum absolutio, quando occulta sunt, toties quoties licebit, quod tenet P. Mendus *Disput. 23. Cap. 5.* iunctis iis, quæ habet *Disput. 25. num. 48.* & ante ipsum Trullench in *Expositione Bullæ Cruciatæ, Lib. 1. §. 7. Cap. 2. Dub. 6. num. 4.* cum P. Thoma Sancio in *Opere morali, Lib. 4. Cap. 54. num. 27.* Et etiam cum publica, iuxta limitationem appositam in illâ, semel scilicet in vitâ, & semel in morte, in foro conscientiæ, iuxta eisdem. Atqui hoc non est tolerabile, ut omnino alienum à mente Pontificum, ut constat ex declaratione Innocentij X. pro Iubilæis, etiam cum non sit expressa & peculiaris exceptio, de quâ Diana *Parte 12. Tractat. 2. Resolut. 24.* Prodiit autem prædicta Declaratio ad instantiam Toletanæ Inquisitionis, & non pro absoluteione ab hæresi, cum publica est, sed generaliter facta, plurium Pontificum, qui idem declarauerant, commemoratione propositâ, & ita responsio iuxta mentem est postulantis regulanda. Cum ergo in Iubilæo paucis duraturo diebus, & raro concedi solito, utpotè omnium maximâ largitione, talis sit Sedis Pontificiæ voluntas, quis credat in Bullâ Cruciatæ concessionem adeo frequentem haberi? Sic *Titulo isto num. 308.* argumentabamur pro priuilegijs alijs, ubi & de SS. Alexandri VI. Declaratione.

45 Et ex eodem possumus etiam in proposito concludenter instare. Nam si beneficio Bullæ licet probabiliter absolutio ab hæresi, & per Religiosorum pariter priuilegia licebit. Illatio ostenditur. Religiosi enim possunt probabiliter absolute à referuatis Episcopis, ut latè probat P. Quintanad. *Tomo 1. Tractat. 7. Singular. 14.* & *tribus sequentibus*, non obstante Decreto Urbani VIII. quo id videtur prohiberi. Licet autem Diana *Parte 10. Tractat. 13. Resolut. 22.* reiciendam talem sententiam censeat, pro quo adducit P. Vidal suæ Religionis, quia contra illam stat communis Doctorum sensus, stylus & praxis Romanæ Curie, & quatuor Decreta Pontificum: quorum vltimum est Innocentij X. quod refert cum rescripto ad Archiepiscopum Neapolitanum, *die 7. Decembris 1647.* adhuc tamen non videtur probabilitas abrogata: nam in Decreto prædi-

cto sola excluditur facultas absoluendi in vim confirmationis, extensionis, aut communicationis priuilegiorum post Concilium Tridentinum obtentâ, aut imposterum obtinentâ. Atqui extant priuilegia circa hoc ante Tridentinum, de quibus P. Quintanad. *Singulari 16.* Ergo virtute eorum poterit absolutio conferri. Video tamen posse ex Epistolâ præfatâ vrgeri; nam in eâ dicitur facultatem absoluendi prædictam fuisse à Concilio sublata: *Sono state annullate & estinte, così dal sacro Concilio di Trenti, como dalle sodette Constitutioni.* Verùm à Concilio non fuisse talem annullatam & extinctam facultatem, ostendit citatus Auctor *Singulari 14.* Neque quoad hunc articulum videtur plus vrgeri Sacræ Congregationis auctoritas, quam eiusdem in Decreto Urbani VIII. in quo per Concilium supponuntur extincta priuilegia, & cauetur ne censeantur reuixisse per confirmationes, &c. Illâ autem suppositione non obstante, de facultate absoluendi sunt Doctores probabiliter opinati.

46 Addi etiam potest id, quod idem Pater *Singul. 14. num. 5.* respondet circa Epistolam similem in puncto eodem eiusdem Sacræ Congregationis ad Archiepiscopum alium Neapolitanum; sic enim ille: *Sed cum hæc sit Epistola cuiusdam particulari missa, nec sufficienter promulgata, vim legis in omnibus Christiani Orbis plagis non habet.* Sic ille quem adducit, nec improbat P. Bulembaum in *Medullâ, Lib. 6. Tractat. 4. Cap. 2. Dub. 3. circa finem*, post Innocentij X. præfatam declarationem scribens, sicut & P. Escobar de Mendoza *Lib. 16. Moralis Theologiæ, Tomo 2. num. 53.* ubi id absolute tenet. Iuxta hæc ergo, cum hæresis casus Episcopalis sit, quando est occulta, ab eâ poterunt Religiosi probabiliter absolute; & quidem toties quoties: quod concedit Croulers apud Dianam *Parte 6. Tract. 6. Resol. 54.*

47 Ad quod quidem id tantum dici potest (ne illatio adeo exorbitans concedatur) facultatem à Pontifice sublata exceptione propositâ, ut dictum *suprà*, de quo Diana *loc. eodem.* Sed instari potest sublata profectò respectu hæresis, cum publica est: sed contra clarè. Nam aufertur facultas, quæ in vim priuilegiorum competebar: atqui nullum extabat priuilegium circa hæresim publicam etiam in foro conscientiæ: ergo non illa tantum, sed omnimodè debet sublata censeari. Ex quo fit idem de Bullâ dicendum, quia eodem modo absoluendi facultas denegatur, priuilegio circa alia concessio, & sicut respectu priuilegiorum Regularium non venit nomine casuum Episcoporum, ita neque respectu Cruciatæ.

48 Nec dici potest in Bullâ absoluteionem respectu omnium aliorum concedi, cum tamen Religiosis respectu casuum Bullæ Cœnæ penitus subtrahatur. Ex eo enim ad summum habetur facultatem Bullæ esse ampliolem, non tamen exceptionem esse aliter accipiendam. Præterquam quod priuilegia pro casibus Bullæ Cœnæ sibi competere Religiosi multi contendebant, quorum vsus ad occultos tantummodo extendebatur. Et hinc orta Episcoporum delationes ad Sedem Apostolicam, ut ex citatâ Epistolâ constat, ibi: *V. Eminenza con sua lettera de 4. d. Agosto precedente, que in questa Città, è sua Diocesi alcuni Confessori seculari è Regulari, senza giustificare con que*

le fiscole assoluano de fatto dalle Censure & Casi studentii, &c. Quando ergo Pontifex facultatem negat ad absoluendum, non de publicis tantum disponit; alioquin inconuenientibus ex tali praxi emergeris neutiquam obuiaret. Id autem de hæresi est præsertim accipiendum, quæ inter casus Bullæ Cœnæ locum habet potiorum. Pontifices autem alios in eodem locutos sensu manifestum est, cum pro dispositione eadem inducantur. Licet enim quis contendere possit Epistolam præfatam non habendam pro lege, iuxta dicta: ad intelligendum tamen id, quod intendimus, quod scilicet de facto Religiosi sic procederent, vnde & illatio est euident, sufficientissimum præbet fundamentum. Et hæc quidem rem istam ita videntur ostendere, ut merito cum Diana *Resolut. 67. citatâ*, possimus asserere, contrarium affirmare esse in meridiana luce cœcutire. Vnde & semel atque iterum affirmat talem amplexos positionem in S. Inquisitionis Tribunali seuerè puniendus. Cui ego quidquid in superioribus discursibus à me est dictum promptissimâ ingenuitate submitto, cui & pro meo est munere necessarium deseruire.

## Circa Caput XII.

De hospitibus apud Religiosos, pro Sacramento Extremæ vnctionis, &c.

Ad num. 351.

49 Posse illis administrari Sacramentum dictum (sicut & Viaticum & sepultura conferri) cum alijs, quos citat, tenet Diana *Parte 10. Tractat. 11. Resolut. 31. in fine*, ob varia priuilegia apud eisdem. Inter quæ vt notabile proponitur quoddam PP. Theatinorum à Lezana *Tomo 3. verb. Extrema vnctio num. 3.* pro mercenarijs, famulis, operarijs, seruis, & hospitibus quibusuis. Et quod ad sepulturam attinet, ita intelligendum, vt Parochorum licentia necessaria non sit, sua tamen illis iura non subtrahenda, si postulerent: id autem hæresis erit aut executoris testamenti. Neque ex eo præcisè quod secularis in Monasterio moriatur, talis cura, sicut & alia, ad Religiosos pertinent, nisi fortè ex charitate, quia nullus extat, qui officia pietatis exerceat. Et cum infirmus ita de sepulturâ disposuit, nulla est difficultas: quæ tamen esse potest si ab intestato moriatur; sic enim moriens sepeliendus est in Ecclesiâ, in quâ storum est sepultura maiorum: vel si talis non sit, in Paraciâ propriâ, iuxta Canonici iuris dispositionem. Et videri pro eo possunt P. Molina *Disput. 214. vers. Si quis è vitâ.* Fr. Emmanuel *Tomo 2. qq. regul. quest. 88. art. 2.* Diana *Parte 5. Tractat. 3. Resolut. 108.* Barboza *de officio Parochi, Cap. 26. num. 28.* Lezana *Tomo 3. verb. Sepultura, numer. 9.* & Pasqualigus *Decis. 401. & seqq.* Sed an hoc etiam seruandum in casu nostro, dum scilicet hospes moritur apud Religiosos? Respondendum videtur negatiuè: nam si ita esset, ad nihil priuilegium deteruiret, ut arguit Fr. Emmanuel *citato Artic. 2. de famulis locutus.* Ex quo infert Parochis repugnantibus sepeliri posse. Ipsis enim, qui apud Religiosos decedunt, eligentibus in eorum Ecclesiâ sepulturam, repug-

Thesauri Indici Tom. II.

gnare Parochi nequeunt: si autem non eligant, & Parochi non repugnent, idem similiter dicendum. Priuilegium ergo ad id conceditur, vt ipsis repugnantibus possint in eorum Ecclesiâ sepeliri.

50 Deinde, ad facultatem administrandi Sacramenta hoc est consequens, quia in eo Religiosi Parochiale exercent ministerium. Vnde in *Compendio communi Societatis.* verb. *Familiares, s. 1.* concessione Pauli III. & Martini V. propositâ, in *Adnotatione*, sic additur: *Id etiam de sepultura intelligatur.* Vbi quasi consequens ad Sacramentorum administrationem ponitur sepultura: licet verum sit expressè illam fuisse concessam: sed certè vt quid consequens, sicut respectu eorum, qui in Societatis morantur obsequijs, vt loquitur Paulus III. Contrarium enim maximè dedeceret; neque in familiaribus maior est ratio quam in alijs, qui & similiter sibi possunt eligere sepulturam, vt est clarum, & notat Fr. Emmanuel *citato Artic. 2.* & hoc etiam procedit respectu eorum, qui ius habent eligendi alijs sepulturam, vt parentes filiis impuberibus, etiam matres, mortuis aut absentibus patribus, vt videri potest apud P. Molinam *suprà.* vers. *Pater eligere.* & Portel *Tomo 2. Casu 68.* & si qui sunt alij eo iure gaudentes, cum moderatione videnda apud Dianam *suprà, Resolut. 107.* ex Barboza, vnde Portelij temperanda sententia. Videatur etiam Fr. Emmanuel *Tomo 3. Quest. 58. artic. 3.* ubi de iuribus Parochis debitis: sic enim ait solere Pontifices in suis concessionibus apponere. In quo & seruandæ consuetudines, iuxta eundem *Ibidem.* vers. *Circa quæ,* & vitandæ turbulentæ contentiones & rixæ, quæ in funeribus valde accidunt importunæ: vt cum defunctis requiem postulamus ac pacem; & nos eâ pariter, quibus eisdem parentandum officijs, pariter perfruamur.

## Circa Caput XIII. &amp; num. 370.

Ubi de reuocatione Bullæ Pij V. pro Mendicantibus à Gregorio XIII.

51 Non innitit aliquorum placito, qui Bullam prædictam reuocationis publicam negant, cum ex Cherubino constet oppositum. Vel in eo quoddam suppressa, aut non recepta, neque in vsu: quia reuera in vsu est, vt non semel declarauit Rota, & videri potest in *Decisione Ann. 1646. die 15. Ianuarij,* apud Dianam *Parte 8.* Pro quo & Lezana *Tomo 2. Cap. 1. numer. 14. & 15.*

## Circa Caput XIV. num. 414. &amp; seqq.

Ubi de Matrimonijs Indorum, cum conuertuntur, qui plures habent uxores, & Pij V. Priuilegium.

52 Auarrus *Lib. 3. Consiliorum, Titulo 33.* qui est de Conuersione infidelium, *Consilio 2.* in priore editione Bullæ Pij V. meminit, eam vocans Apostolicam declarationem, & decretum permittens; resoluitque *numer. 5.* ex eo non tolli obligationem monendi primam uxorem,

L L L 2 rem,